

Ch. 280. 6.





cl. n. 280.

14, 6cl.

PARENTALIA  
PIE  
DEFVNCTO ORDINARIO  
CAROLO GODOFREDO  
DE WINCKLER

HORA IX. D. XIX. APRIL. A. C. MDCCXCI  
IN AVDITORIO ICTORVM  
SOLEMNI ORATIONE CELEBRANDA

QVA SIMVL  
HOC MVNVS SIBI CLEMENTISSIME DELATVM  
DEMISSA GRATIARVM ACTIONE

PROFITEBITVR

INDICIT

D. HENRICVS GOTTFRIEDVS BAVERVS  
ORDINARIVS

---

PRAEFATVS  
DE MEDIIS DELICTA MINVENDI



PARMENTALLA  
FIS  
DE VINTO ORDINARIO  
CAROLO GODOFREDO  
DE WINKLER  
IMPERIALIS AUSTRIACAE  
IN AUSTRIA REGIA  
SOLLENNI ORATIONE CELEBRANDA  
DIA 22 JUNII  
HOC MUNUS SUI CELEBRANDI DE VINTO  
FESTIVITATE ET  
DE VINTO  
DE VINTO GOTTFRIDUS BAVARUS




B. C. D.

§. I.

**L**ex Saxonica scelus illud ultimo supplicio expiandum constituit, quo alter alteri persuadet, vt patriae solum relinquat, melioremque sibi in terris exteris fortunam conciliare studeat. Et, si verum est, in multitudine ac dexteritate ciuium Principis potentiam inprimis esse collocandam, quod vix hodie quisquam negauerit, non potest perduellis videri, qui in minuendis iis occupatur. Non potest non inter primas Principis sollicitudines hoc esse, rem publicam ita componere, vt omnibus in ciuitate bene esse possit, quo videlicet vno ciues ad propagandam, peregrini ad ineundam eam inuitantur. Et, quum Deus ipse hominem talem fecerit, qualis vix vllus sibi soli suppetere possit, vt potius alterum alteri inferuire, omnesque adeo, ac

A 2

singu-



singulos societatis legi suimet ipsius causa obsecundare oporteat, consequitur, quaecunque ad promouendum in ciuibus societatis studium sunt efficacissima, ea ad augendam rem publicam maxime idonea, ipsique adeo Principi vtilissima esse debere.

§. 2.

Consentiunt omnes, hanc rem a pueris recte informandis esse inchoandam. Idemque his ipsis diebus, vti nouellae testantur, Hungaria agnouit, vtque huius rei causa in conuentu statuum publico rite decernatur, constituit. In pueris, inquam, sic informandis, vt, legere linguam vernaculam et scribere docti, praeceptis a Salvatore nostro editis, iisdemque ad vitam pie et recte agendam compositis, dextre ac assidue imbuantur, praeceptis eo redeuntibus, Dei amore et cultu nihil homini prius habendum, Principes Dei in his terris vicarios, publicaeque securitatis ac tranquillitatis, omnisque adeo felicitatis, ad quam in hoc mundo adspirare fas est, statoribus, post Deum maximi faciendos, caeterisque omnibus ac singulis tribuen-

tribuendum esse, quod nobis vicissim ab aliis tribui cupiamus, ob eamque rem vitam eiusmodi instituamus et peragamus, qua non solum nostris, sed aliorum simul commodis inferuiamus.

§. 3.

Quod quamquam natura ipsa sapientes docuit, prout ex *l. 2. 10. ac tot. tit. D. d. Iustit. et Iur.* percipimus, ad horum praeceptorum sanctitatem nobis insinuandam, ad condignum hominibus pretium statuendum, profecto nihil religione nostra esse potest efficacius, qua docemur, in Christo salutis nostrae aeternae auctore coire homines, vnamque adeo eandemque omnes inire familiam. Sane fortius argumentum excogitari nullum potest, ad probandam illam grauiissimam veritatem, nostra religione nihil Principes certius firmitusque tueri, nihil ad vitam in ciuitate tranquille et commode transigendam magis facere, nihil melius rei publicae inferuire.

## §. 4.

Huius igitur religionis praeceptis vt infantes quasi lactentur, vt pueri rite imbuantur, quanti interfit, quis neget? Praefertim, quia ad violandam ciuilis societatis legem infimi potissimum ex populo egestate euocantur, praeter dogmata religionis, ipsis pueris tradita, et opificia, quibus de pane quaerendo laborant, non sapientes. Quos, si non bonae indolis, ad omne potius nefas procliues natura efformauit, vel mala parentum sodaliumue exempla ad delinquendum inuitant, quid praeter religionem in recta via continere, vel ad eam reuocare possit, non video.

## §. 5.

Praeter religionem, inquam, Diuino auctore suo condigne traditam. Puto eiusmodi doctrinam, quae non in misteriis Christianae religionis subsistat, eamque quasi hostem religionis naturalis constituat, non ex nuda fide sacrificio Saluatoris nostri habita peccatorum remissionem exponat, et hoc ipso peccandi libidinem accendat potius, quam



quam extinguat, quod, ne multi paedagogi, ipsique clerici committant, vereor. Quae id potius omni animi intensione indefessoque labore agat, ut auditoribus persuadeat, animarum regnum instituisse, et morte sua obtinuisse Salvatorem nostrum, ei soli ineundum, qui praecepta eius, ad singulorum et publicam felicitatem consequendam colineantia, intelligere, intellecta repetere, cogitatione reuoluere, reuoluta reponere, et agendo exprimere, talique cogitationum et actionum exercitio cordis integritatem, dexteritatem sanctitatemque assequi, et, si aliquando defecerit, sacrificii a Christo praestiti adiumento restituere studeat. Utque ad obtinendum hunc finem eo feliciter progrediatur, praeceptis in decalogo propositis sic immoretur, ut imagines virtutum, argumentis ex Sacro Codice hominisque natura petitis, depictas, ex pulchritudine appetendas, commodisque et praemiis, quae eas comitantur, commendabiles, vitiorum contra ex dedecore ac turpitudine aspernandas, ex periculi et miseriae comitatu fugiendas exponat, exemplis illustret, et sic Dei amore et adoratione, Principis cultu, parentum reuerentia, pietate, humanitate, labo-

ris

ris patientia, iustitiae, dexteritatis, aequitatis, castitatis, temperantiae, virtutis denique omnis amore puerorum animos incendat, eiusque studio actionum rectura assuescat, vitiorum contra horrore impleat, deterreatque.

§. 6. *Videor mihi vndecunque occentum perferentiscere, talia pie desiderari, expectari vix in Platonis republica posse. Largiorque, nec vno lustro, nec sine impensis hoc effici posse. Posse tamen multum effici, et sic effici, vt ex lustris vix duobus fructus respublica capere inchoet, non minus persuasum habeo. Contigit aliquoties, in pagis examibus interesse, a paedagogis et clericis cum pueris puellisque institutis, nec nisi vnus viri memini sic pueros iuuenesque informantis, vt vim cogitandi, intelligendi et ratiocinandi eorum acuerere, veritatis ac virtutis studio eos implere, iisque persuadere videretur, dogmata Saluatoris nostri ad veram sapientiam et virtutem homines perducere. Mihi que narrabatur, rarissimas in illa vniuersitate discordias et rixas esse, crimina, quae ex turpitudine quadam descendunt,*

dant, fere inaudita. Nec, nisi vnus controuersiae per longam annorum seriem ex illo loco memini a collegio nostro decisae.

## §. 7.

Vnde vero, non inepte quaesiuersis, bona indoles inter clericos et paedagogos, in pagis praesertim, tam rara? Meo quidem animo variae obuersantur causae, quae profecto omnes in efficienda hac saeculi labe eaque promouenda omnes cooperantur. Operae et laboris stimulum vel opum quaerendarum, vel praecipuae aliorum de se existimationis spem plerisque, recti conscientiam paucissimis esse, profitentur omnes. Nec minus naturae hominum consentaneum esse, vt in vetitum nitantur, dudum poeta cecinit. Et inter nostrates magistri scholarum, plurimique clericorum, viri, ad fuscipiendum grauissimum munus, hoc videlicet, euocati, vt prouideant, ne quid respublica ex progenie vitiosiore detrimenti capiat, hi viri in quam humili loco collocantur, ad quam tenuem stipem rediguntur, a quam multis vitae oblectamentis, na-

B

tura

x

tura et ratione probabilibus, arcentur. Vt non mireris, si rarissime iuuenes ingenuos dignissimae huic doctrinae se mancipare, seruilis potius plerumque conditionis homines eam profiteri; sed neque exhaurire, neque animum ad Diuina eius praecepta componere, ad certas potius formulas, non intellectas, sed memoria comprehensas, eam cogere conspexeris, parum praeterea sollicitos, quae ore dogmata commendant, vt vitae suae ratione confirmant, vt rediuiua potius Pharisaeorum imago, qualem Saluator noster exponit, in multis appareat.

§. 8.

Quum vero educatio puerorum rationi et Christianae religioni consentanea arctissimo cum salute publica vinculo coniuncta sit, quum vix vlla re existimem Principem magis delectari, ac dulcius mulceri posse, quam cogitatione, sua cura et prouidentia factum esse, vt ciues ad virtutem reuocentur, et melior aetas redeat, consequitur, ipsius reipublicae esse, quibus potissimum huius rei causa vititur, eos alere, et magni facere, nec putarem, quibus hoc effici

possit, media multis difficultatibus inuoluta esse posse. Quodsi enim Saxonia nostra in comitiis ab Indulgentissimo publicaeque salutis amantissimo Principe suo impetrauerit, vt, suspensa paulisper sortium solutione, tantum seurale aerarium praebeat, quantum ad salaria magistris scholarum et Clericis suppeditanda, et ea quidem ad vitam commode transigendam necessaria suppetere possit; Vt sacri ministerii candidatos, secundum quod doctrinam suam cum pueris instituendam Senatui ecclesiastico probauerint, primum scholas in pagis inire oporteat, antequam ad ecclesiae cathedram euehantur, nec, nisi illi officio, ex testimonio inspectorum tempore visitationis, quotannis instituendae, ipsis exhibendo, satis fecerint, hanc ascendere liceat; Vt clericis et professoribus honos Principis consiliariorum similis, saluo ordinum discrimine, et scholarum magistris cum iis, qui consiliarii non sunt, sed nominantur, aequalis lege publica tribuatur; Vt, quae viris honestis patent, clericis oblectamenta patefiant, vestimentorum discrimini modus fiat, et pallia remoueantur, quae saecularibus ingenuis despectui sunt, seruilis ingenii homines eo

inducunt, vt nubem pro iunone amplectantur, in clericis denique simulandi studium gignunt, et sanctitatis affectationem excitant: Nonne vberimos ex eiusmodi institutionibus fructus praesumas?

## §. 9.

Praeter scholas recte instituendas reipublicae inprimis conducit, vt ciues labori assuescantur, et nullius ignaviae aliis molestae indulgeatur. Aliis molestae dico. Non, vt diuitum ignauiam defendam et probem. Illi, quoniam legem Diuinam expressam negligunt, qua Deum adorare, ei confidere et laborare iubemur, quoniam non intuentur naturam, quae monstrat, corporis sanitatem, eius exercitii et quietis viciffitudine, potissimum parari, inopes inter magnas opes, mente plerumque et corpore simul cruciantur, poenas socordiae suae satis asperas, ac saepe tam intolerabiles persoluunt, vt vitae pertaesi mortem sibi ipsi consciscant. Vt vero publicam castigationem sentiant, non committunt, in se ipsos, non in alios iniurii. Quemadmodum enim ciuili et naturali iure domino licet, re sua abuti,

abuti, et eam perdere, nisi reipublicae ex prodigalitate imminens periculum, vel damnum aliunde natum publicam tutelam euocet, quibus mens sana est, non minus licere debet, quae ad seruandam corporis sanitatem sunt necessaria, omittere.

## §. 10.

Egenos vero ignauos, vt laborent, suaque opera panem quaerant, hortandos, et inuitos compellendos esse, res ipsa docet. Siquidem sibi ipsis relictis, aliter fieri nequit, quam vt, si non interficiendo, latrocinando, rapiendo, furando, certe mendicando aliis molesti fiant, et contra ciuilibus societatis legem committant. Cui malo, quoniam rempublicam infestat, mederi, huic ipsi incumbit. Idoneam vero adhuc ei medelam non attulisse, mendicantium agmina loquuntur, et eiusmodi scelerum, quorum foecundissima mater est ignauia, multitudo. Quibus vt poena legibus praescripta statuatur, vnus certe assessor nostri dicafterii, ad quod plus semisse actorum iudicialium

omnium ex patria vniuersa, praeter magnam molem extraneorum quotannis affluit, quotidie occupatur.

§. II.

Et est profecto contra naturam hominum, poenarum, licet asperrimae, modumque humanitatis exeuntes, sanciantur, formidine efficere velle, vt in virtutis tramite ciues contineantur. Si non quidem solum, quod dudum ab aliis et nouissime a BECCARIA von Verbrechen und Straffen eiusque laudatore HOMMELIO in Edit. nouiss. quae Breslau. ao. 1788. prodiit, pag. 82 et 192. not. m. obseruatum est, et quod hoc nostro tempore Gallorum exemplum comprobauit, poenae nimis atroces, et ab humanitate abhorrentes, ciuium animos exasperant, in iisque aequitatis humanitatisque sensum obtundunt: Sed hoc etiam loco id potissimum cogitandum est, ad virtutis vastigium per aspera multa longo et continuo demum labore, graui et indefesso incessu, luctandum esse, contra vero non deesse malorum irritamenta, et excitantes peccandi libidinem venustos specie stimulos, quibus qui a recta via

se



se abduci patitur, pedetentim ab ea longius distat, et, a quo tramite recessit, ad eum vel per circuitus aegre reducendus est, vel, nisi ense recidatur, in omne nefas labitur. Quam ob rem sapienti consilio non id solum curandum est, vt, quibus mediis fieri possit, a discessu virtutis ciues retineantur, ac deterreantur, quod educationis dexteritate, quippe matre virtutis amoris, certissime effici demonstrauius, verum etiam, vt, quam primum deuia incedere coeperint, longius prodire impedianur.

## §. 12.

Sed, prout monui, ignauiam in solis egenis, quippe mala multa reipublicae minantem, publicam mereri censuram, generatim praemonendum esse duco, inter peccata et delicta distingui debere. Scilicet, quibuscunque factis a virtute aberrantes in nosmet solum ipsos iniurii sumus, peccari, quibus in alios, delinqui, quibus in Deum, peccari immediate, delinqui mediate. A peccando non minus, quam delinquendo dehortandos, et, si fieri potest, retinendos esse ciues. Puniendos a Principe solius delicti, non  
peccati,

peccati, causa. Cuius videlicet vltio ad Diuinæ maiestatis iura vnice pertinet. Quemadmodum enim negandum non est, foecordia homines ad peccandum inuitari, quo illud Ouidianum pertinet: *Quæritis, Aegistus, quare sit factus adulter? Causa est in promptu, desidiosus erat.* Delictorum profecto non minus foecunda mater est, adeoque ex duplici causa studiosissime coërcenda. Praesertim, si ad mendicationem, Senecæ et bonorum omnium iudicio foedam, progrediatur.

## §. 13.

Hanc aliter, quam ergastulis impediri et reprimi posse, fateor, me nescire. Ergastulis, quot videantur huic medellæ suffecturae, extructis, et hinc inde per vniuersam ciuitatem dispersis. Iisdemque, vt famæ hominum, cuius aestimatio studiosissime promouenda est, parcat, quia tanta mendicorum, quanta furum, turpitudine non est, secernendis ab iis mansionibus, quæ sceleratorum castigationibus destinantur. Nec omnibus eidem generi operarum accommodatis. Sit v. c. in celeberrimis ciuitatibus locus, vbi operarii ad ligna caedenda et secanda compellantur. Et quidem

quidem sic instituendis, vt, quantum ab homine non desidioso perfici possit, laboris imponatur, viclusque admodum parcus, quantus, non voluptati, soli corporis sanitati suppetere possit, praebeatur. Partim, vt causa sit, ad suos redeundi, et honestam vitam instituendi, quod vt faciant, et ad faciendum diuina lege se obligatos putent, simul a clericis admoneantur: Si non quidem inaudita sunt eorum exempla, qui ergastulis, qualia habemus, non mendicorum, sed criminum cuiuscunque generis reorum, receptaculis, diutius interesse, quam domum redire, maluerint. Partim, vt reipublicae, cuius inutilia membra se gesserint, et cui molestiam adduxerint, satis faciant, suaque opera efficiant, vt sumtus, in huiusmodi institutionem reipublicae commodam impensi, publico aerario quam primum restituantur, et ad conseruationem necessarij mereantur. Quodsi enim diuitias mercatores imprimis eos cumulare conspiciamus, qui plurimis vtuntur operariis, quidni eiusmodi hominum societates sic institui et regi possint, vt ex iis ciuitati quaestus affluat, non liquet. Modo rerum intelligentes et periti praeficiantur.

## §. 14.

Inter malorum irritamenta, praeter ignauiam ciuium, esse frumenti caritatem mercedi operatorum abnormem, et fugientem laboris non fugaces merendi occasionem, frequentissimae pauperum querimoniae ignorare non sinunt. Quorum, quia numero reliquos ciues longe superant, quin conditionem scrutaturus, et huic rei publicae vulnere medelam allaturus sit optimus Princeps, dubitandum non est. Cui adeo rei superuacuum duco pluribus inhaerere. Mitto etiam, ne iustos programmatis limites egrediar, leges sumtuarias, quae, dum fastum et luxuriam coercent, temperantiae auxiliantur, modo inter mercatores paucissimos exceperis, nemini facile non salutare esse debent.

## §. 15.

Hoc tamen praeterire non possum, quemadmodum boni patrisfamilias est, prouidere, vt liberi non solum officia hominis et ciuis noscant, honestique sensu et horrore turpitudinis nutriantur, verum etiam, si turpe quid commiserint, vt poena eiusmodi afficiantur, qua simul commissi pudore ac poenitentia, quin voto impleantur, quos  
turpi-

turpitudine sua offenderint, quorumque existimationem perdidierint, bonos sibi reconciliandi: Consequi, ipsius Principis interesse, familiam suam, ciuitatem puto, sic regere, modum poenarum eum statuere, vt animus vere paternus appareat, putrescentia membra sanandi, et, nulla demum spe sanandi superstite, amputandi. Dum enim sola ciuiliis societatis offensio poenarum necessitatem inducit, consequitur, quatenus Diuina lege definitae non appareant, ex tutamine et promotione publicae salutis earum definiendarum modum et mensuram esse petendam.

## §. 16.

Ex quo, si quid video, primum consequitur, peccatorum, qualia definiui, vindictam in ciuitate nullam esse debere. Quamobrem mihi persuadere nescio, quae delicta carnis audiunt, si neque parentes vitatae, neque adulterium passus vindictam petunt, delicta, eorumque in ciuitate punitionem iustam esse. Quam sententiam non animo vagae libidini, quam vehementer odi, patrociniandi, veritatis studio voueo. Partim, quia non video iniuriam ciuitati

illatam, quod vnum hoc loco sufficit, vt potius partum  
enixae de ciuitate ipsa mereantur.

## §. 17.

Partim, quia poena, et, quae ex peruersa hominum  
opinionē huius generis puerperas comitatur, leuis notae  
macula, non raro gestionis dissimulationem, et nefanda alia  
scelera gignit. Vt longe consultius sit, miserabilibus eius-  
modi personis ex consilio CAR. FERDIN. HOMMELII  
ad BECCARIAM *Edit. nouiss. pag. 160 et 191.* molestias na-  
turaliter consequentes, quoad fieri potest, publicis sumpti-  
bus eximere. Partim, quia existimationis aliorum, quae  
honesti reuerentiam et pudorem gignit, iactura homines  
ad plus delinquendum inuitat, huiusque adeo peccati oc-  
cultationem longe probabilius commendat. Partim deni-  
que, quia Deus ius scortatores et adulteros puniendi *Cap.  
XIII. ad Hebr. vers. 4.* videtur sibi soli vindicare voluisse.

## §. 18.

Deinde ex eodem principio consequitur, siquidem res  
publica postulat, vt singula eius membra, quorum quod-  
que suum conferre in commune commodum debet, si fieri  
potest

potest, conferuentur, primum poenarum finem esse debere corrigendi delinquentes, vltimum, e medio eos tollendi, nec posse hunc iustitiae consentaneum esse, nisi vel corrigendi spes frustrata, vel tanta sit tamque grauis in delicto ciuitatis offensio, vt ex libertatis restitutione magis acerbum ciuis iactura imminere periculum videatur.

§. 19.

Ad illum vero poenarum finem, qui, modo atrocissima delicta exemeris, vt ciuitati bene consultum sit, primarius esse debet, correctionem puto, obtinendum, certissime persuasus sum, rationi magis consentaneam delictorum aestimationem, pleniorēque eorundem et poenarum ambitum et gradationem, aliam denique poenarum institutionem esse necessariam, diuersas ab iis, quas ciuilibus constitutionibus moribusque expressas ac receptas conspiciamus. Denique, quoniam singulae, quae obuenire possunt, et, prout experientia docemur, quotidie obueniunt, vix cogitatione, non dicam legibus, comprehendi possunt, recedendi ab ordinaria poena eamue mitigandi causae, aut liberius concedendum iudicantibus arbitrium, aut, quod me-

lius, ne legislatoria potestas cum aliis communicetur, et hinc nimis incerta euadat, iubendos eos, vt, si leuiorem fuisse turpitudinem perspexerint, sententiae secundum leges conceptae consilium adiungant, ad Principem a iudice literis deferendum, quo mitior poena, ob ea, quae circumstant rem subiectam, aequitati magis consentanea supremo arbitrio commendetur. Quibus singulis paulo vberius exponendis, ob rei dignitatem paulisper immorari debeo.

## §. 20.

Desidero rectiorem delictorum aestimationem, et amplio- rem eorum poenarumque gradationem. Monui, quod centies monendum esse censeo, pudorem certissimum esse signum animi non omnino feruile et abiecti, eiusque, qui, licet delictum per se turpe commiserit, de se non desperare sinat, fore, vt in posterum illud non repetat, ad meliorem potius frugem reuertatur. Is igitur pudor, verum intelligo non simulatum, qui non potest non cum reuerentia virtuti habita, cum poenitentia facti, et cum voto bonae aliorum de se existimationis recuperandae coniunctus esse, siquidem certissima est contra iterationem criminis cautio, nonne




nonne quavis ratione acuendus et confirmandus? Nonne, perpetrato etiam turpi facinore, et cum graui aliorum laesione coniuncto, modo primum fit, et quae rem comitantur spem correctionis non excludant, iudici sollicitae cauendum, ne poenam reo talem imponat, qualis consortio sceleratorum eum inuoluat, et qualis, si non iure, certe plerorumque ex populo opinione, infamiam irroget?

## §. 21.

In furto simplici exempla eiusmodi mihi plurima obuenere, ut reum, ob necessitatem lege impositam poenam ergastuli dictandi, miseratione dignissimum censuerim. Fateor, furtum sine turpitudine cogitari non posse, sed aequo profiteor, utque profitear, ipsa rerum argumenta effecere, spem corrigendi in fure non semper abiiciendam esse. Quamquam enim furta plus vice simplici ipse perpetratus sum, HOMMELIO tamen ad BECCAR. pag. 89. ut subscribam, a me nunquam impetrabo, auctori videlicet suaserique, ut omnes omnino fures infamia notentur. Quod, siquidem honorem et existimationis integritatem boni omnes eiusdem cum vita pretii censent, iniquum, ipsique reipublicae perniciosum duco.

## §. 12.



## §. 22.

Hanc sententiam exemplum his ipsis diebus nobis oblatum tueatur. Concesserat pauper quidam nebulonis precibus, ut ei in furto diuiti cuidam tum temporis absenti inferendo auxiliaretur. Ablatis ultra mille ioachimicis, de quibus miser ducentos acceperat, hic morsu conscientiae agitatus partem acceptam insipidus furi restituit, rei furtivae derelictione innocentiam sibi restitui existimans. Hunc veritatis amans quis non rudem potius et incium, quam nequam dicat, quis non spem, ut ad virtutis tramitem reuertatur, in eoque persistat, in illo longe probabiliorem putet, quam in eo, qui panem furando sibi quaerere consuetus, centies res semper vilissimi pretii, cum non animus, sola occasio meliora auferendi, desset, furatus est, quis non adeo iniuriam ab hoc reipublicae factam longe grauiorem, quam illius aestimet, quis denique non propterea rempublicam illi leuiore, nullamque infamiam irrogante poena reconciliandam ducat, hunc in longum tempus ad operas publicas condemnandum?

§. 23.

## §. 23.

Quae quanquam ita sunt, legis necessitate adstringimur, vt, missis caeteris propemodum omnibus ratiociniis, pretium potissimum rei furto ablatae intueamur, illumque adeo miserum libertate in longum, ac forte reliquum vitae suae tempus exuamus, et in maleficorum societatem eum detrudamus, qui reipublicae redditus, quam, hoc vno dedecore excepto, adhuc honestam degerat, vitam continuasset, numerosaeque familiae suppetias tulisset aliunde non expectandas, perterritus hoc infortunio sibi adscito, liberis exemplum et praeco virtutis, scelerum dehortator futurus.

## §. 24.

Possem centum alia furtorum exempla recensere, si, quo tempore obuenerint, ea notassem, et loci opportunitas proximiori esse liceret, quae singula, si non ciuilem sed naturalem legem intuemur, maxime probabilia argumenta mitigandi poenam lege stabilitam suppeditarent. A quo abstinere eo lubentius, quo magis hoc vnum, quod attuli, veritatem sententiae meae confirmat, qua utimur, delictorum

D

aesti-

aestimationem neque iustitiae naturali neque ciuitatis rationi respondere. Cui quidem in genere ordinariam furti poenam, si illud prima vice commissum, nec dum spes furem ad meliorem frugem reuocandi perdita est, vt consentaneam ducam, mihi persuaderi nunquam patiar.

## §. 25.

Veneror humanissimum Principem, qui a non minus horribili, quam inueterata lege recessit, quae furtum duodecim thalerorum et tredecim grossorum ultimo supplicio expiandum constituit. Quodsi vero furtum eiusmodi, si furtum maioris pretii in homine, qui spem corrigendi de se conceptam nondum elusit, aliquot annorum, vel longi temporis seruitute luendum, si cum solicatoribus furum, delicti autoribus, ipsisque adeo furibus turpioribus, modo tantum pretii non perceperint, si cum eo, qui res sibi concreditas surripit, atque adeo, dum non solum suratur, sed simul fidem sibi habitam fallit, duplicem et grauiorem turpitudinem contrahit, mitius agi, si denique calumniatores, pessimum genus hominum, existimationis, quae pretiosior

fior

flor aere vitae aequiparatur, fures fere impunitos circum-  
uagari conspicio, ut haec omnia iusta probem, qui pectori  
meo infidet, iustitiae sensus reluctatur.

**D**ebeo iam, vt more recepto vtar, mihi ipsi tempe-  
rare, et, quae superflunt, vt spes minuendorum in ci-  
uitate delictorum non improbabilis appareat, de insti-  
tutione, gradatione et modo poenarum breuiter conii-  
cienda, in aliam, quae instat propediem, scribendi op-  
portunitatem remittere. Sufficiat, haec praelibasse in-  
stanti Panegyri, quippe orationi pie defuncto Ordinario  
**IOANNI GODOFREDO DE WINCKLER**  
proximo Martis die parentali habendae, agendisque  
simul et publice perfoluendis gratiis **SERENIS-**  
**SIMO SAXONIAE ELECTORI,**  
**PRINCIPI** nostro **INDVLGENTISSIMO,**  
cui non indignus visus fui, in quem hoc munus profe-  
cto non leue detulerit. Existimaui vero, has cogitatio-  
nes ab hac re praesente non alienas esse, partim, quo-  
niam defuncti Ordinarii de re criminali merita nemi-  
nem

nem praetereunt, partim, vt alii intelligant, quis no-  
uum Ordinarium sensus iustitiae animet.

Vt vero hanc Panegyrii Reſtor Academiae Ma-  
gnificus, Celsissimi Principes, Illustrissimi Comites, vtri-  
usque ciuitatis Grauiſſimi Proceres, Commilitones de-  
nique Generoſiſſimi Nobiliſſimique praesentes illustrare  
ornare et condecorare velint, ea omnes ac singulos ob-  
ſeruantia rogo, qua illorum desiderio me nunquam eſſe  
defuturum viciffim polliceor. Scribebam Dominic.  
Palmar. A. C. cIdCCCXCI.

---

EX OFFICINA SAALBACHIANA.





2/5485 OK

ULB Halle

3

005 358 442



NC





Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

1  
Blue

2  
Cyan

3  
Green

4  
Yellow

5  
Red

6  
Magenta

7  
White

8  
3/Color

9  
Black

cl. n. 280.

IV, 601.

PARENTALIA  
PIE  
DEFUNCTO ORDINARIO  
CAROLO GODOFREDO  
DE WINCKLER

HORA IX. D. XIX. APRIL. A. C. MDCCXCI  
IN AUDITORIO ICTORVM  
SOLEMNI ORATIONE CELEBRANDA

Q. V. A. S. I. M. V. L.  
HOC MVNVS SIBI CLEMENTISSIME DELATVM

DEMISSA GRATIARVM ACTIONE

PROFITEBITVR

INDICIT

D. HENRICVS GOTTFRIEDVS BAVERVS  
ORDINARIVS

PRAEFATVS  
DE MEDIIS DELICTA MINVENDI

